uenit. Namque species et cunctis subiacent accidentibus. et de speciebus genera praedicantur. de
generibus uero species non praedicantur. Quare non similiter genera subiacent. quemadmodum spe-
cies. Non enim de generibus species praedicantur. Ergo sicut primae substantiae subiectae
sunt secundis substantiis et accidentibus. ita species subiectae sunt generibus et accidentibus.
Genera uero quamquam subiecta sint accidentibus. speciebus ipsa non subiacent. Quocirca
maior est similitudo speciei ad primas substantias quam generis. Quod si maior
est similitudo specierum ad maximas substantias. ipsae erunt magis substan-
tiae. Sed ne quis nos arbitretur dicere. quod ea quae sunt genera species esse non possint.
sed id quod sunt genera species esse non possunt. Nam in eo quod species est de superioribus non praedicatur. sed in eo
quod genus de eo praedicabitur cuius est genus. Quocirca genera ipsa quorum sunt genera his sub-
iacere non possunt. species uero quorum sunt species de his praedicari non possunt. Ipsarum uero specierum
quae genera non sunt. nihil plus alia ab alia substantia est. Praedictum est ut porphirius
quoque in libro de generibus. speciebus. differentiis. propriis. atque accidentibus planissi-
me docuit. Alia esse solum genera quorum genus inueniri non posset. alias solum species. quae
in alias species diuidi non ualerent. Ea autem quae de pluribus numero differentibus
in eo quod quid sit praedicantur. ut homo de singulis hominibus dicitur. et equus de sin-
gulis equis. et bos de singulis bobus. qui sub propria specie posita a se ipsis propriae
naturae figura non discrepant. Ergo huiusmodi species ut est homo atque equus
quae solis indiuiduis praesunt. genera esse non possunt. sed aequaliter semper substantiae sunt.
Nam tam propinque redditur de quolibet indiuiduo equo. nomen equi. quam de quolibet
indiuiduo homine. hominis nomen. Quocirca si aequaliter species atque genera non sunt ad pri-
mas substantias. non aequaliter esse substantiae merito putabuntur. Hoc autem dicit
non quod omnes species aequaliter substantiae sint. sed quae aequaliter a primis substantiis di-
stant. Potest enim fieri cuiuslibet superioris generis una quaelibet species sit. quae
comparata ad propriam speciem. minus illa superior uideatur esse substantia. ut ani-
malis si quis dicat speciem esse auem. eiusdem quoque speciem hominem. Auis et homo non aequa-
liter substantiae sunt. idcirco quod auis superior homine est. Homo namque in alias species
non diuiditur. Est enim magis species. Auis autem potest in alias diuidi species. ut in ac-
cipitrem. uel uulturem. quae quamquam aues sint. specie tamen ipsa dissentiunt. Propria